

sufficit terror armorum, ut videantur armis deiecisse; l. 3, § 5, ff. *De vi et vi armata*.

(39. De iis qui tenentur ex lege Julia, *De vi publica*, ad Sigon. *De judic. dict.*, cap. ultim., tum Antonium Matthæum *De crimin.*, lib. XLVIII, tit. 4, c. 1, n. 3.

(40. Pœna vis publicæ ex lege Julia est aquæ et ignis interdictio, in cuius locum successit deportatio; l. 1, § ultim., ff. *ad l. Juliam*, *De vi publicæ*; (41. atque adeo etiam bonorum publicatio, si non exstent conjunctæ personæ, quibus bona reservari jussit Justinianus, in Novella 134, cap. ultim.; (42. quin et aliquando ultimum supplicium, præsertim in humilioribus, si atrocior violentiæ species sit, vel ex vi allata cædes alicujus illata fuerit; l. 11, ff. *Ad leg. Jul. De vi publicæ*, l. 6, c. eodem titul.

(43. Moribus vero hodiernis pœna vis publicæ arbitraria est pro modo et gravitate admissi criminis. *Vide* Grænevegen. ad § 8, *Institut. De public. judic.*

ADDITIO EX AUCTORE.

(44. Vis et metus distinguitur in gravem et levem, habito etiam respectu ad personam, cui infertur; *Benedict. XIV*, tom. II, constitut. 47 incipient. *Si datam*. Vim et

VISITARE, VISITATIO, VISITATOR.

Hanc gravem materiam oræstat fusius evolvere.

(1. Visitare nihil aliud est quam excessus ac defectus inquirere, inventosque castigare, et convenientibus remediis emendare, atque observantiam obligationum juxta ejusvis personæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget, conservare, et ubi deficit, in pristinum restituere. Barbosa, *De Offic. et potest. Episcop.*, part. III, allegat. 73, n. 1, et alii communiter per text. concil. *Tridentin.*, sess. XXIV *De reformat.*, cap. 5, ibi: « Visitatio- num autem istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, prava corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. »

(2. Visitandi jus et potestas competit omnibus prælati ecclesiasticis, qui jurisdictionem ordinariam in aliquos habent; cap. *Romana 1*, § *Hanc*, *De censibus* in 6. (3. Unde post Romanum Pontificem, jus et potestatem visitandi habent legati a latere ex officio legationis sibi a Sede Apostolica demandatæ, cap. *Cum Apostolus*, *De censibus*. (4. Item legati Pontificii, qui non sunt a latere, sed dicuntur nati, quibus legatio Apostolica competit ratione dignitatis, in qua sunt constituti, cap. *Cum instantia*, cap. *Procuraciones*, *De censibus*; Barbosa, *loco cit.*, n. 21, et alii. (5. Item legati Apostolici, qui missi, sive nuntii apostolici nuncupantur, si visitandi onus eis sit specialiter impositum; vel si urgens aliqua neces-

metum inferentes, ut quis religionem ingrediatur, aut professionem emittat, ab ordinario puniendi sunt pœnis a concil. *Tridentin.* statutis; idem, *ibidem*. Vis et metus auctores, qui a reclamante, vel a testibus ab ipso inductis, indicati fuerint, citari debent in judicio super nullitate professionis; idem, *ib.* Vis et metus incussus ad cogendum aliquem, ut professionem regularem emittat, etiamsi perseveraverit per quinquennium, et ultra, non ideo tamen prorogatur quinquennium a concil. *Tridentin.* concessum ad reclamandum; idem, *ibid.* Attamen ex Apostolicæ Sedis æquitate inductum est remedium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii, a sola tunc ipsa Sede Apostolica concedendum; idem, *ib.*

(45. Vis et metus adhiberi non debet, ut Judæi in Christianorum regionibus asylu jure gaudentes, baptismum suscipiant; idem constitut. 28 incipient. *Postremo mense*, § 13 et 37. Si quis per vim et metum dicat se baptizatum fuisse, videndum an violenter cedendo consenserit, an vero dissentiens aqua baptismi ablutus fuerit. In primo enim casu valide baptizatus censebitur, secus in secundo. Idem, *ibidem*, § 49 et sequent. *Vide* tom. I, verb. *BAPTISMUS*, et tom. IV, verb. *HEBRÆUS*, ubi multa alia ad rem.

sitas visitationem postulet; cit. cap. *Cum instantia*, et cit. cap. *Procuraciones*, *De censibus*; Tuschus, *De visitatione*, lib. I, cap. 2, n. 9; Barbosa, *loco cit.*, n. 21. (6. Item vicarius Summi Pontificis in territorio sibi injuncto; cap. penultim. *De offic. vicar.*; Tuschus, cit. lib. I, cap. 2, n. 4; Barbosa, *loco cit.*, n. 21, et alii. (7. Item cardinales in Ecclesiis suorum titularum. Leo X, in constitut. incipient. *Superna*, edita in concil. *Lateranens.* v, sess. IX, cap. 2. *Vide* verb. *CARDINALES*, art. 4, n. 14.

(8. Patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi jus ordinarium habent visitandi suas respective dioceses; cap. *Romana 1*, *De censibus* in 6, concil. *Tridentin.*, sess. XXIII, *De reformat.*, cap. 3, ita ut habeant intentionem fundatam quoad jus visitandi omnes Ecclesias ejusque suæ respectivæ diocesis; cap. *Omnes basilicæ 14*, q. 7, cap. *Conquerente*, *De offic. ordinarii*, cit. cap. *Romana 1*, *De censibus* in 6, et *Communis doctorum*.

(9. Item vicarius capitularis, Sede vacante, id potest, sive per se, sive per alium. *Vide* verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 2, n. 11. (10. Item vicarius Apostolicus. *Vide* verb. *VICARIUS APOSTOLICUS*, n. 4. (11. Item vicarius collegiatæ exemptæ et nullius diocesis. Rota recent., apud Farinac. part. I, dec. 346; Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Visitatio ordinaria*, n. 3. *Vide* verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, n. 39.

(12. Item abbates, alique prælati habentes proprium territorium, et qualitatem Nullius.

cap. *Romana 1*, § *Hanc*, *De censibus* in 6, cum similibus, et *Communis doctorum*. Item decani, archidiaconi, archipresbyteri plebani, et alii inferiores visitandi jus habent, si id longa consuetudine præscripserint; cap. *Super eo*, et cap. *Cum Apostolus*, *De censibus*; concil. *Tridentin.* sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 3, ibi: « Archidiaconi autem, decani, et alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi, deinceps per se ipsos tantum visitare. » (13. Item capitulum, superstite adhuc episcopo, potest interdum ex præscriptione vel privilegio habere jus visitandi; et tunc visitatores a capitulo deputati debent esse approbati ab ordinario; concil. *Tridentin.*, cit. sess. XXIV, *De reformat.* cap. 3, ibi: « Visitatores etiam, a capitulo deputandi, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab episcopo approbentur. » Barbosa, *supra concilium*, *loco cit.*, n. 14, et cit. allegat. 73, n. 26, cum aliis ibi citatis, referens sic etiam decisum fuisse a sacra ejusdem Concilii congr.

(14. Dicti archidiaconi tamen, et alii inferiores visitationis a se factæ rationem reddere, et acta omnia exhibere episcopo infra mensem tenentur. Concil. *Tridentin.*, *loco cit.*, ibi: « Cui ipsi archidiaconi, vel alii inferiores visitationis factæ infra mensem rationem reddere, et depositiones testium, ac integra acta exhibere teneantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, et privilegiis quibuscunque. » (15. Imo episcopus etiam per alium potest easdem Ecclesias seorsim ab his iterum visitare. Concil. *Tridentin.*, *loco cit.*, ibi: « Sed non ideo episcopus, vel eo impedito ejus visitator, easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur. » (16. At vero licet episcopus possit iterum visitare Ecclesias visitatas ab inferioribus, non potest tamen punire iterum punitos ab eis, neque ab illis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam; sic decisum fuisse refert Barbosa, *supra concilium*, *loco cit.*, n. 15. et *Armeniar.* apud ipsum, *ibid.*

(17. Superiores generales ordinum regularium, provinciales et alii prælati, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve, legitima jurisdictio, habent jus visitandi monasteria, aliaque loca sibi subjecta; cap. *In singulis*, et cap. *Ea quæ de statu monachorum*; concil. *Tridentin.*, sess. XXI *De reformat.*, cap. 8, et sess. XXV *De regularib.* cap. 20, et *Commun. doctor. praxi quotidiana* id demonstrante.

(18. Episcopi alique superiores non solum possunt, sed etiam tenentur per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per vicarios suos vel visitatores, qui presbyteri sint vel diaconi, singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio, totam diocesis et Ecclesias ejusdem visitare. *Communis*, claris juribus in can. *Decrevimus 10*, caus. 10, q. 1, ibi: « Decrevimus, ut annuis vicibus ab episcopo

dioceses visitentur; » can. *Episcopum 11*, eadem caus. et q., ibi: « Episcopum singulis annis ire oportet, ut acquirat, etc. Quod si ipse, aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum et ministrantium vitam inquirent. » Et concil. *Tridentin.*, sess. XXIV *De reformat.*, cap. 3, ibi: « Patriarchæ, primates, metropolitani et episcopi propriam diocesis per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. »

(19. Vicarius tamen generalis hoc jus visitandi non habet, nisi specialiter ei committat episcopus. Barbosa, supra concil. cit., sess. XXIV, cap. 3, n. 3, et cit. alleg. 73, n. 28, cum pluribus ibi citatis, et alii passim. *Vide* verb. *VICARIUS GENERALIS*, art. 3, n. 22.

(20. Metropolitanus olim post plene visitatam propriam diocesis, poterant etiam visitare dioceses suorum suffraganeorum, sed hodie hoc amplius non possunt, nisi ex causa cognita et probata in concilio provinciali, vel a sacra congregatione Concil. *Tridentin.*, cit. sess. XXIV, cap. 3, sacra congreg. Episcop., in *Cajacen. et Theanen.* 22 April. 1603; apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Visitatio ordinaria*, n. 2.

(21. Episcopus visitare potest toties, quoties opus fuerit, non solum ecclesias communes diocesis, sed etiam capitula, et Ecclesias cathedrales, aliasque majores, et personas illarum. *Communis* per textum expressum concil. *Tridentin.*, sess. VI *De reformat.*, cap. 4.

(22. Item tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare potest omnes ecclesias sæculares exemptas, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis. *Communis*, textu expresso in conc. *Trid.*, sess. VII *De reformat.*, cap. 8.

(23. Item potest visitare quascunque ecclesias sæculares intra fines suæ diocesis existentes etiamsi ad regulares pertineant, et ab eis dependeant, dum tamen per sæculares eis deserviat, et hoc vigore concilii *Tridentin.*, sess. VII *De reformat.*, cap. 8. Sic decisum fuisse referunt *Armeniar.*, in *add. ad recompil. leg. Navar.*, lib. I, tit. 6, *De visitat.*, lib. V, § 2, n. 3; *Ventriglia, Prax.*, part. II, annotat. 24, § 1, n. 7. Secus autem ecclesias regulares nullius diocesis, ut ex *Tridentino* et decret. sacre Congregationis ad longum probat Fagnan. et Matthæucc., *locis num. sequent. citandis*.

(24. Item potest episcopus vicinior tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare ecclesias omnes sæculares nullius diocesis quantumcunque exemptas, et Sedi Apostolicæ immediate subjectas, etiamsi in illis prælatus inferior habeat quasi episcopalem juris-

nctionem. Concil. *Tridentin.*, sess. *xxiv* *De reform.*, cap. 9; Barbosa, ad dict. cap. 9, n. 1 et 2, allegans Rotam decis. 896, part. I recent., et plurimos doctores, Ventrigl., *loc. cit.*, n. 9, et alii passim; non potest tamen visitare ecclesias regulares nullius diœcesis, ut ex *Trident.* et decret. sacr. Congregat. ad longum probat Fagnan., lib. in *Decretal.* in cap. *Nullus*. De parochiis, n. 33 et 37, et Matthæucci, *Official. cur.*, cap. ult., n. 12 ad 14, et alii.

(25. Vicinior episcopus potest visitare beneficia secularia et clericos sæculares abbatia nullius diœcesis, ipsosque culpabiles repertos corrigere; et dicitur vicinior episcopus solum ille, cujus cathedralis Ecclesia sit abbatia proximior, non autem locus dictæ abbatia subjectus. Barbosa supra *Trid. cit.* sess. *xxiv*, cap. 9, num. 4, attestans sic decimum fuisse die 2 Augusti 1596.

(26. Episcopus vicinior, si sit legitime impeditus, potest ecclesias sæculares nullius diœcesis visitare per suum vicarium generalem. Sic decimum fuisse die 17 Januarii 1585, testatur Barbosa *loc. cit.*, n. 6.

(27. Si Ecclesia seu abbatia secularis nullius diœcesis sita sit in aliqua diœcesi, visitatio spectat ad ordinarium, in ejus diœcesi est Ecclesia nullius. Sic decimum fuisse refert Rota part. II recent., dec. 501, num. 5, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 2.

(28. Episcopus, sive per seipsum, sive per alium delegatum visitare potest ecclesias, etiam non curatas, quæ reperiuntur erectæ in solo Lateranensi, ut clare patet ex responsione sacræ congregationis Concilii ad sequentia dubia proposita ab episcopo Mileti.

I. « An episcopus Mileteris tanquam delegatus Apostolicus possit subdelegare suum vicarium generalem, vel aliam dignitatem ecclesiasticam sibi benevisam in visitatione diœcesis, et præcipue ecclesiarum, quæ prætenduntur sitæ in solo Lateranensi? »

II. « An vicarius destinatus in dicta diœcesi Mileten. a reverendissimo capitulo basilicæ Lateranen. possit revidere visitationes factas ab episcopo, sive ejus delegato visitatore in dictis Ecclesiis? »

III. « An prædictus vicarius Lateranen. in dicta diœcesi Mileten. possit revidere computa, et visitare libros administrationis reddituum societatum laicarum erectarum in iisdem ecclesiis, et an pro dict. computorum revisione possit recipere a dd. societatibus aliquod emolumentum seu mercedem? »

IV. « An vicarius destinatus in dict. diœcesi Mileten. a dict. reverendis. capitulo possit indicare concursum in occasione vacantia ecclesiarum parochialium, quæ prætenduntur sitæ in solo Lateranensi? »

V. « An episcopus Mileten. in præfatis ecclesiis intra fines suæ diœcesis, possit exercere suam jurisdictionem ordinariam quoad provisionem parochialium, aliorumque concernentium curam animarum et administrationem sacramentorum? »

VI. « An in alienationibus rerum earumdem ecclesiarum solemnitates requisitæ etiam in vim can. *Terrulas*, quæst. 2, adhiberi debeant per episcopum, vel per dictum vicarium destinatum a capitulo dictæ sacrosanctæ basilicæ Lateranen.? »

VII. « An in casu, quo prædictus vicarius destinatus a capitulo se ingereret in jurisdictionalibus et causis spectantibus ad episcopum Mileten. possit ab eodem coerceri, et puniri canonicis censuris, et pœnis? »

Quibus propositis, auditis partibus in plena congregatione 23 Aprilis 1701, responsum dedit: « Ad primum, posse visitare per se vel per alium etiam ecclesias sitas in solo Lateranensi ad formam sacri concilii; ad secundum *negative*; ad tertium *negative* ad utrumque; ad quartum *negative*; ad quintum, *dilata*; ad sextum spectare ad episcopum private; ad septimum *affirmative*. »

(29. Super quibus reposita causa 3 Maii 1702, eadem Congregatio respondit: « Ad 1, in decisis; ad 2, in decisis; ad 3, in decisis, quoad primam partem, præterquam quoad archiconfraternitates erectas auctoritate capituli, et quoad secundam in decisis; ad 4, in decisis; ad 5, quoad primam partem *affirmative*; ad 6, *dilata*; ad 7, in decisis. »

(30. Et iterum in eadem causa, et inter easdem partes propositis novis dubiis:

I. « An sine subdelegatione speciali subdelegatus ab episcopo ad visitandam diœcesim possit visitare Ecclesias, confraternitates et loca pia fundata in solo Lateranensi? »

II. « An dicta subdelegatio specialis debeat a subdelegato ostendi et inseri Actis visitationis? »

III. « An episcopus, vel ab eo delegatus teneatur declarare expresse se visitare jure delegato? »

IV. « An vicarius Lateranensis in visitatione, quam facit jure ordinario, possit petere, ut sibi ostendantur Acta visitationis factæ ab episcopo vel ejus delegato? »

V. « An Ecclesias parochiales fundatas in solo Lateranensi valeat episcopus visitare jure ordinario? »

Die 17 Novembr. 1703 sacr. Congr., etc., respondit:

« Ad 1, *negative*, et quoad confraternitates juxta resolutiones jam factas; ad 2, *affirmative*; ad 3, *affirmative*; ad 4, *affirmative*, non tamen auctoritative ad effectum corrigendi; ad 5, *negative*. »

(31. Visitatio abbatia sanctæ Mariæ de Perno sitæ in confinio diœces. Muranæ et Rapellen. æque principaliter unitæ Ecclesiæ Melphien. spectat ad episcopum Melphiensem, ut patet ex responsione sacræ Congregationis concilii ad sequentia dubia relat. ab Ursaya, tom. III, part. I, disceptat. 33, a n. 43.

I. « An visitatio ecclesiæ sanctæ Mariæ de Perno spectet ad episcopum Melphien. vel potius ad episcopum Muranum? »

II. « An censuræ latæ per curiam episco-

palem Melphien. contra vicarium generalem Muranum sustineantur? »

III. « An declaratoria censurarum facta per vicarium generalem Muranum contra vicarium generalem Melphien. sustineatur? »

Die 16 Junii 1712, sacra congregatio Concilii respondit: « Ad primum, *affirmative* quoad primam partem, *negative* quoad secundam; ad secundum, *affirmative*, et pro absolute arbitrio metropolitani; ad tertium, *negative*. »

(32. Visitare jure delegato potest episcopus Ecclesias unitas collegiis exemptis. Sac. congr. Concil., in *Bononien. Juris visitandi* 2 Octob. 1721. Sic refert Ursaya, in *Miscellan.* I, 1, sac. et profan. litt. V, n. 127.

(33. Visitare tamen non posse episcopum beneficia unita universitati Complutensi ob privilegia, quæ habet, decrevit sac. congr. Concil. die 22 Junii 1606, apud Aldan. in *Compend. canonic. resolut.* lib. I, tit. 7, n. 10, et Barbosa, *Sum. apostolic. decis.*, verb. *Visitare, quando et quæ episcopus valeat*, n. 14.

(34. Visitare potest episcopus dignitatem exemptam in concernentibus curam animarum illi annexam. Sac. congr. Concil., in *Burgen.* 18 Augusti 1628, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 12.

(35. Item visitare potest omnes Ecclesias curatas monasteriis regularium unitas. Concil. *Trident.*, sess. VII *De reform.*, cap. 7, et sess. *xxv* *De regularibus*, cap. 11. In iis enim, quæ spectant ad curam animarum sæcularium, tam ecclesiæ quam personæ regulares dictam curam exercentes subjacent jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, ut decimum fuisse sub die 4 et 6 Junii 1627, refert Barbosa, supra concil. sess. *xxv* *De regularibus*, cap. 11, n. 4 et 5, et novissime sacra congr. Concilii, in *Mediolanen.* 12 Novembris 1689, et congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII, in *causa Hispanen.* 30 Januarii 1694, in respons. ad 6, et relata in congregatione generali 18 Augusti 1696, apud Monacell., part. I, tit. 5, formul. 2, n. 2.

(36. Dummodo tamen ecclesia parochialis non sit illius conventus, in quo generalis Ordinis habet residentiam ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a jurisdictione ordinarii. Concil. *Trident.* sess. *xxv* *De regularibus*, cap. 11, et sacra congr. Concil., in *Lauden. jurisdictionis* 1 Decembris 1691, in qua plene articulo discussio, et partibus informantibus fuit resolutum, constitutionem Gregorii XV, incipientem *Inscrutabili*, non derogasse privilegio cap. 11, sess. *xxv* *De regularibus*, favore generalium Ordinum concessio. Sic refert Monacell., part. I, tit. 6, formul. 20, n. 14, et sic alias censuit eadem sacra congr., teste Ventriglia, part. I, adnotat. 48, § unico, num. 91. Quamvis Barbosa, in *Summa apostolic. decision.*, verb. *Visitare ecclesias et loca regularium quando possit episcopus*, referat, ex Armendar. et Lezana, sacram congregat. Concilii censuisse, quod visitare possit episcopus, ex

decreto concilii sess. VII, cap. 6, *De reform.*, ecclesias parochiales unitas monasterio canonicorum regularium, tametsi generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat.

(37. Episcopus visitando ecclesias curatas exemptas vel regularibus subjectas potest facere decreta in iis, quæ concernunt rectam administrationem et custodiam sacramentorum, et quatenus decreta discrepant ab illis, quæ fecerunt superiores exempti seu regulares, debent ordinationes episcopi prævalere et observari. Sac. congr. Concil., in *Veronen.* 10 Julii 1628, in *Mediolanen.* 12 Novembris 1689, et congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII, in *causa Hispanen.* 30 Januarii 1694, in respons. ad 6, et relata in Congreg. generali 18 Augusti 1696.

(38. Quamvis episcopus possit visitare ecclesias parochiales monasteriis regularium unitas vel annexas, nequit tamen visitare domos ipsarum parochialium, in quibus non viget regularis observantia, sed in eis habitant soli parochi regulares ab eodem approbati, ut alias respondit sacr. Congr. apud Fagnan., lib. I *Decretal.* in cap. *Grave gerimus*, 19, n. 16, *De officio ordinarii*.

(39. Nec episcopus potest visitare monasteria regularium eo prætextu, quod eorum superiores sint negligentes, ut respondit sacra congr. Concilii die 20 Februarii 1616, apud Piasec. *Prax.* part. II, cap. 3, art. 6, n. 32, ibi: « Sac. congr. Cardinal. concil. *Trid.* interpretum censuit, non licere ordinariis locorum, monasteria regularium eo prætextu visitare et corrigere, quod illorum superiores admoniti intra sex menses illa non visitaverint vel correxerint, nisi eadem monasteria vel sub commenda existant, ex decreto cap. 8, sess. *xxi*, vel suorum ordinum capitibus non subsint, ac se in congregationes redigere neglexerint, juxta cap. 8, sess. *xxv* *De regularibus*. »

(40. Neque potest episcopus visitare capellas et altaria laicorum seu confraternitatum laicalium in Ecclesiis regularium erecta, ut resolvit sacr. congr. Concil., apud Fagnan., in cit. cap. *Grave gerimus*, n. 48, et expresse Pignatell., t. X, consult. 39, n. 9.

(41. Quamvis enim possit episcopus visitare confraternitates laicales erectas in ecclesiis regularium in iis, quæ respiciunt administrationem, et adimplementum onerum, ut pluries respondit, tum sacr. congr. Episc., tum sacr. congr. Concil., ut videri potest sub verb. *CONFRATERNITATES*, art. 3, n. 1; (42. tamen nullatenus visitare potest capellas et altaria in regularium ecclesiis per ipsas confraternitates laicales constructa, ut pluries declaravit dicta sacr. congreg., ut videri potest sub dict. verb. *CONFRATERNITATES*, a n. 2 ad 4.

(43. An autem et quando possit, vel non, episcopus visitare conventus regularium, sive antiquos suppressos, et iterum restitutos, sive nunquam suppressos, aut de novo erectos. Vide verb. *CONVENTUS* per tot., ubi abunde de omnibus.

(44. Episcopus visitare potest oratoria publica, quæ habent requisita Ecclesiæ, etiamsi sint de pertinentiis regularium; dummodo separata sint a claustris, et campestris. Sac. congr. Conc., in *Cæsenaten.* 23 Septembr. 1690, et in *Cortonen.* 20 Apr. 1697. Vide d. verb. CONVENTUS, sub n. 22, in respons. ad quintum dubium, et sub n. 1, in responsione ad primum.

(45. Episcopus visitare potest ecclesias parochiales Equitum Hierosolymitanorum, sed quoad ea tantum, quæ ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectant. S. Pius V, constit. 136 incip. *Exposcit.* (46. At non posse episcopum visitare oratoria publica dictæ religionis Hierosolymitanæ, declaravit sac. congr. Conc., in *Mantuana* 17 Junii 1690, ut refert et tenet Monacell., p. 1, t. V, formul. 2, n. 5 in fine.

(47. An autem et quando possit episcopus visitare oratoria privata erecta ex privilegio Apostolico in domibus privatis nobilium personarum? Vide verb. ORATORIUM, a n. 25 ad 26.

(48. Episcopus visitare potest ecclesias parochiales subjectas capitulo Lateranensi. Sac. congr. Episcop., in *Aquilan. Terræ Arischæ* 23 Junii 1690. Imò et quæ concernunt ornatum Ecclesiæ, sac. congr. Concil., in *Cæsenaten.* 23 Septemb. 1690, apud Monacell., loco cit., n. 2 in fine.

(49. Episcopus potest visitare monasteria monialium regularibus subjectarum in iis, quæ pertinent ad clausuram, etiam inconsultis et irrequisitis earum superioribus regularibus. Vide verb. MONIALES, art. 3, n. 95.

(50. Quoad talem autem visitationem debet episcopus observare decreta sacræ congregationis Concilii hac de re edita et adducta sub dict. verb. MONIALES, n. 96, et insuper decreta sacræ cong. Episc. et Regul., quæ hic dantur, prout referuntur ab eminentis. Petra, tom. V *Comment. ad constit. Callisti III*, sect. 2, n. 143, vers. *Resolutio*, ibi: « Resolutio itidem novissima congregationis episcoporum et regularium fuit in Nucerna paganorum inter episcopum et moniales ordinis Prædicatorum monasterii exempti in dicta civitate existentis, et proposita fuerunt infrascripta dubia:

I. « An episcopus in concernentibus observantiam clausuræ, toties, quoties expedire judicaverit, possit visitare monasterium monialium Sanctæ Annæ subjectarum PP. ordinis Prædicatorum? »

II. « An possit visitare earum Ecclesiam, communicatorium, et crates confessarii quoad concernentia clausuram? »

III. « An possit visitare nedum crates et mœnia exteriora monasterii, sed etiam chorum, interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clausuræ custodia? »

IV. « An possit indutus stola supra rocchetto et mozzettam solum cum suis convicatoribus ingredi et visitare clausuram monialium absque interventu prioris, et aliterius cujusvis religiosi? »

V. « An episcopus volens possit in actu vi-

sitationis habere sermonem spiritualem monialibus tam intra quam extra septa monasterii? »

VI. « An episcopo sit per priorissam tradenda notula nominum monialium, educandarum et ancillarum tempore visitationis? »

VII. « An possit episcopus occasione visitationis singulas moniales, et unamquamque separatim interrogare et examinare circa observantiam clausuræ? »

VIII. « An tam regulares, quibus subjectæ sunt moniales, quam etiam sæculares, teneantur ab episcopo obtinere licentiam alloquendi moniales? »

IX. « An possit episcopus insimul cum superiore regulari revidere computa, atque recognoscere statum œconomicum monasterii? »

X. « An censuræ sustineantur in casu, etc.? »

XI. « An constet de attentatis, et quomodo sint purganda? »

XII. « An et quomodo sit providendum quoad ingressum conversarum in locum ultimo loco defunctorum in casu, etc. »

Die 7 Julii 1724 sac. congr. Episcop. et Regul. his dubiis respondit:

« Ad I usque ad X inclusive, affirmative; ad XI, negative; ad XII providebitur post revisionem status œconomici. »

(51. Prælati omnes sæculares episcopali, ac etiam cardinalatus dignitate præditi nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, uti est casus visitationis; et tunc comitati a paucis, iisque senioribus ac religiosis viris. Vide dict. verb. MONIALES, art. 3, n. 66.

(52. Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ pro prima vice; pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere et a divinis; pro tertia autem vice, et deinceps, excommunicatione majori afficiuntur. Vide *ibidem*, n. 67.

(53. Unde non possunt episcopi secum ducere in clausuram ullos laicos, tanquam comites et socios. Vide, *ibidem*, n. 68 et 69.

(54. Nec possunt episcopi secum ducere in clausuram plus quam octo personas; alias incurrunt prædictas censuras. Vide, *ibidem*, n. 71.

(55. Absolutio tamen ab istis censuris non est Papæ reservata. Vide, *ibidem*, n. 72.

(56. Prælati regulares non possunt ingredi monasteria monialium pro visitatione locali, nisi semel tantum in anno, ita ut eo anno, quo unus ex dictis superioribus visitaverit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino absteat. Vide, *ibidem*, n. 74.

(57. Prælati regulares, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis; si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis. Vide, *ibidem*, n. 75.

(58. Nec ipse visitator, nec ejus socii pos-

sunt sumere intra clausuram ullam refectio-nem. Vide, *ibidem*, n. 76.

(59. Si superior regularis supradictis contrafecerit, ipso facto pœnam excommunicationis, et privationem omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ et passivæ absque alia declaratione incurrit. Et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus tueri se potest, quominus ab episcopo loci tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato quoties et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat. Vide, *ibidem*, n. 78.

(60. Episcopus visitare potest hospitalia. Vide verb. HOSPITALE, n. 33, et verb. ADMINISTRATIO, n. 2.

(61. Et potest exigere ab administratoribus rationes et computa, tam in visitatione quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis. Vide, *ibidem*, n. 34.

(62. Imò potest ordinarius visitare hospitalia, et ab eorum administratoribus rationes et computa exigere, non obstante, quod a testatore, et lege foundationis expresse excludatur. Vide, *ibidem*, n. 35, et verb. ADMINISTRATIO, n. 3-5.

(63. Item potest exigere rationem administrationis ab hospitalibus, quæ sunt sub immediata regum protectione. Vide dict. verb. ADMINISTRATIO, n. 12-14.

(64. Non potest tamen visitare dicta hospitalia, quæ sunt sub immediata regum protectione. Concil. *Trid.*, sess. XXII *De reformatione*, cap. 8.

(65. Hospitale aliquod visitare volenti, si opponatur exceptio, quod sub immediata regum protectione existat, non ad sæcularem judicem, sed ad ipsum episcopum talis exceptionis cognitio et definitio pertinet. Vide dict. verb. HOSPITALE, n. 38.

(66. Ad hoc tamen ut dicta hospitalia sint immunita a visitatione episcopi, debent esse talia a primæva foundatione: nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a rege sub sui immediata protectione. Vide d. verb. ADMINISTRATIO, n. 15-18, et dict. verb. HOSPITALE, n. 39.

(67. Episcopus visitare, corrigere et reformare potest hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum, in casibus a jure concessis; scilicet ob negligentiam vel ob dilapidationem bonorum, et ut testatoris voluntas servetur. Vide dict. verb. HOSPITALE, n. 40.

(68. Hospitalia privata potest episcopus visitare, corrigere et reformare in iis tantum, quæ ad observandam voluntatem testatorum pertinent, et exigere rationem ab administratoribus una cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est. Vide, *ibidem*, n. 41.

(69. Hospitalia etiam unita, in quibus ecclesiæ sunt, vel assidue divina officia celebrantur, et bona eorum non sunt distincta, visitari debent ab episcopo. Vide, *ibidem*, n. 42.

(70. Hospitalia, quamvis debeant visitari

ab episcopo; non inde tamen prohibetur, quin et judices sæculares eadem visitare possint, si hoc eis alias legitime competit. Vide, *ibidem*, n. 43.

(71. Hospitalia administrata a fratribus S. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam. Vide, *ibidem*, n. 44.

(72. Episcopus visitare potest confraternitates laicorum, etiamsi essent erectæ in ecclesiis seu oratoriis fundatis et exstructis in solo et territorio religionis Hierosolymitanæ. Vide verb. CONFRATERNITATES, art. 3, n. 5.

(73. Episcopus visitare potest etiam confraternitates, quæ non a primæva sua foundatione sunt sub immediata regum protectione, sed solum ex post sub sui immediata protectione sunt a rege accepta. Vide, *ibidem*, a n. 6 ad 8.

(74. Administratores confraternitatum, sicut et aliorum piorum locorum, possunt compelli ab episcopo ad reddendam rationem administrationis, et ad portandum libros administrationis etiam ad palatium episcopale, si sint in loco residentis, seu alterius stationis et permanentiæ episcopi. Vide, *ibidem*, n. 9, et verb. ADMINISTRATOR, n. 20.

(75. Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere solent, adhuc vigore dispositionis concilii principaliter erit adhibendus episcopus. Sac. congregat. Concilii, in *Conversanen.* 2 Martii 1697, et in *Melevitana* 20 Martii 1700.

(76. Imò redditio rationis administrationis danda est episcopo etiam a confraternitatibus, aliisque locis piis, quæ sunt sub immediata regum protectione. Vide dict. verb. CONFRATERNITATES, a n. 1 ad 13.

(77. Episcopus in visitatione debet celeriter, quantum res postulat, se expedire et ad actus extraneos non se divertere, ne visitati graventur expensis; sic pluries censuit sac. congr. Concil. et signanter in *una Bojanen.* die 14 Decemb. 1654, in qua ad instantiam capituli collegiæ Campi Bassi propositis sequentibus dubiis:

I. « An episcopus teneatur singulis annis visitare totam diœcesim? »

II. « Qualis debeat esse comitatus ejusdem episcopi visitantis, ad effectum præstationis victualium? »

III. « Per quod tempus in locis visitandis sint eis præstanda victualia? »

IV. « An obtinentes beneficia simplicia, seu capellanias in titulum, teneantur contribuere dictis victualibus? »

V. « An eisdem victualibus teneantur contribuere confraternitates laicorum? »

VI. « An episcopo accedente ad conferendum sacramentum confirmationis, teneantur universitates præstare victualia seu procurationem? »

Die 14 Decembris 1654 respondit:

« Ad I, affirmative, et si legitime impeditus fuerit, per suum vicarium generalem, vel alium visitatorem idoneum debet visitare, ita ut saltem tota biennio visitatio absolvatur. »